



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

54 Pensio super distributionibus quotidianis nunquam praesumitur
reservata, nisi expresse dicatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

vers. fateor. tamen, loquens in charitativo subsidio, ad quod præstandum ille, qui beneficium dimiserat, tenebatur, decidens, possessorem esse cogendum solvere, vel antiquum possessorem, ut magis Episcopos placebit. His etiam confert, quod tenuit Feder. de Sen. in *conf. 81.* quem refert, & sequitur Card. in *clem. 1. q. 11. de cens.* ubi inquit, esse in facultate creditoris pro oneribus præteritis incumbentibus beneficio, vel agere contra novum possessorem beneficii, vel contra antiquum possessorem, qui fructus percepit, & illis perceptis beneficium dimisit, & Anchara post alios in *c. cum homines. in vers. tertio quæro. de deci.* tenet, quod, si quis pluribus annis non persolvit decimam de prædio, demum illud vendit, quod erit in electione creditoris decimarum convenire pro præteritis decimis emptorem, vel venditorem, quibus argumentis satis probatur, esse in electione creditoris agere ad pensiones contra obligatam, vel possessorem, aut hæredem possessoris, ut tenet Gig. eod. tract. de pens. q. 39. n. 11. & 12. & hæc quæstio, quæ tẽpore Cassad. ob illius maximas difficultates pendebat indecisa, ut testatur idẽ Cassad. in *decis. 4. n. 3. de loc. & conduct.* & tẽpore Gig. ut, & ipse testatur in *d. q. 39. n. 13.* fuit corã Blanchetto, tũc Rotæ Auditore, & nunc. s. R. E. Card. in una causã Hùspalen. pensionis, de mense Decemb. 1577. decisa, & firmatam successorẽ in beneficio ad pensiones decursas tempore antecessoris non teneri, nisi facta eum prædecessore, vel ejus hæredibus diligentia de illis consequendis. Contra successorẽ autem in beneficio executive procedi potest, & contra hæredem, non, nisi via ordinaria, & juris ordine servato, ut per Gig. ead. qu. 39. num. 13.

Casu autem, quo pensiones reservari contingat super distributionibus quotidianis, prout quotidie reservantur, super quibus tamen non præsumuntur reservari, nisi expressis verbis id fuerit concessum, ut per Monet. in tract. de distrib. quot. par. 3. q. 8. n. 11. quas Papa sine dubio potest reservare, ut post Rot. & alios citatos tenet idem Mon. ead. q. 8. n. 9. tunc vacante canonicatu, & præbenda eod. onere pensionis gravatis, licet optetur præbenda, nihilominus titularis ratione emolumentum distributionum quotidianarum, quas jure tituli superlucrat, pro rata ad pensionis solutionem concurrere tenetur, ex deductis per Rot. *dicis. 2. de testam. in antiq.*

Contra agentem ad solutionem pensionis plures exceptiones opponi possunt.

Primò enim opponi potest defectus jurisdictionis, quia prohibitus excipere, adhuc excipere potest de incompetencia judicis. *gloss. fin. in clem. unic. de sequest. poss. & fruct.* & Fely. in *c. pastoralis. n. 12. de except.* quia defectus jurisdictionis potest etiam opponi contra tres sententias conformes, quæ exceptio opponi potest, & etiam si partes ante sententiam expresse consensissent, quod incompetens sententiaret, & jurassent, non dicere de nullitate sententiæ, ut post Fely. ubi supra Angel. & Phi. de Perul. in *cap. dilecti. qu. 50. & 52. de appell. trad. Purpur. in l. eum qui jubet. n. 14. ff. de jurisd. omn. jud.*

In primis, & ante omnia debet constare de jurisdictione, *c. cum in jure. de off. deleg.* & propterea licet contra tres sententias conformes non possit opponi aliqua exceptio, donec plenarie fuerint executioni demandatæ, *clem. ut calumnijs, de re jud.* potest tamen opponi exceptio nullitatis